Sed cur a matre ornatus dicitur? An quia matris, id est, Bersabeae opera et industria, David antequam moreretur, regni successorem declaravit ipsum, caeteris ejus fratribus, quamvis natu majoribus praetermissis? vel potius quia hoc sicuti et superiora omnia accommodatum est ad hominum morem? Nam nuptiarum die quaecumque ad conjugum ornatum attinent, ab eorum matribus curari solent. Ego quidem certe sic sentio, nonnullos tamen esse scio, a quibus ipse, quod eos et amem, et plurimi faciam, dissentire non possum, qui ab illo, EN LECTULUM SALOMONIS, quae sequuntur universa, non ab sponsa, sed de sponsa dici volunt ab iis spectatoribus, qui modo ejus demirati odoris fragrantiam dixerunt: QUAE EST ISTA QUAE ASCENDIT DE DESERTO SICUT VIRGULA FUMI. Ipsos enim affirmant pulchritudinis ejus miraculo obstupefactos, ac vix animi compotes, quidquid aut ipsorummet, aut vulgi judicio pulchrum habebatur, in eam conferre: lectumque atque ferculum Salomonis, quod ad speciem attinet, nominare ipsam, itaque dicere: EN LECTULUM SALOMONIS. Id est. Haec ille lectulus, quo nihil pulchrius censetur: haec plane cum illo de pulchritudine certet. Nec enim illi tantum dignitatis addunt copia, opusque, et excubiae nocturnae, quam istam undique qua oculos, qua genas, qua os atque corpus totum convestivit decor. Ferculum porro quod sibi Salomon fecit insigni artificio visendum, utpote in quo, quamvis auro atque gemmis distincto, ars certet cum copia, num conferri queat cum hujus pulchritudine foeminae? Sed haec hactenus. Nunc rursus a capite ordiamur, sive potius contexamus verae sententiae expositionem, proxime superiore capite interruptam.

ALTERA EXPLANATIO

IN LECTULO MEO PER NOCTEM (1). Quod illis verbis: *fili, accedens ad servitium Dei, praepara animam tuam ad tentationem*, iis qui pie vivere volunt, denuntiatur fore, ut Deo sese interdum subtrahente, et malorum ad ipsos accessum et incursum, quo eorum erga se amorem probet, non impediente, rerum adversarum tempestate, et tanquam fluctibus saepe agitentur; ad id se comparare omnes debent, non solum ii, qui incipiunt Deum colere, sed etiam illi, qui in ejus amore, aut profecerunt, aut jam plene perfecti sunt. Non enim tam comitatur umbra corpus in luce positum, quam adversi casus sequuntur eos, qui ipsi pietatem sequuntur. Et quo quis majoribus Dei donis affectum se esse cognoscit, eo cogitare debet, instare atque impendere sibi majus aliquod et difficilius certamen, quod obeat. Ergo quoniam vir hic justus, quem describimus, vel potius qui a Salomone figurate descriptus illustratur, et in lumine collocatur a nobis, ut agnosci facile, atque conveniri a cunctis possit: ergo quoniam hic vir justus incunabula illa amoris deseruit, et in meliore et perfectiori statu locatus, ampliоribus gratiae beneficiis affectus a Deo est, ideo jam quod sequitur, ut strenue agendo atque certando se iis beneficiis esse non indignum demonstret, inducitur in tribulationis acie constitutus, et tanquam sub armis laborans. IN LECTULO, inquit, PER NOCTEM QUAESIVI, QUEM DILIGIT ANIMA MEA. Nam in adversis esse intelligitur primum ex eo quod in nocte est. Nam figurato sanctarum litterarum, et arcano sermone, aspera et aerumnosa tempora, noctis et tenebrarum significantur nominibus. Deinde quod Deum absen-

(1) Eccle. II.

tem quaerit. Nam quamvis Deus in omni natura semper sit, suisque similiter semper adsit; propria et peculiari providendi ratione, tamen, illi quemadmodum cum ipsis bene est, Deum veluti excubantem in suam ipsorum salutem videre sibi videntur; sic rebus in contrarium conversis, aversum ipsum a se existimant, et abalienato ab ipsis animo, custodire ipsos amplius nolle arbitrantur, aut certe quasi arbitrentur, ita praedicant atque queruntur; quale est illud Davidis: *Usquequo Domine oblivisceris me in finem* (1), *usquequo avertis faciem tuam a me?* Quare non est cur dubitemus, quin in malis dicatur esse is de quo dicitur, ipsum in nocte constitutum requirere absentem Deum. Praeterquam quod ipsa res, et bonorum vitae ratio poscebat, ut qui vocatus esset, atque sublatus a Deo ad altiorem amoris gradum, quique ei vocationi obtemperans, majoribus gratiae bonis affectus, plus virium atque roboris in animo collegisset, statim educeretur in aciem, et de ejus in superanda tribulatione strenuitate, et in malis patientia ageretur. Imo si ad ea, quae hoc caput antecesserunt, attendimus, haud obscure videbimus hunc sub ista amantis persona adumbratum justum virum, imminere sibi probationum, id est, laborum tolerandorum, et adversarum rerum discrimen, jam antea praevidisse, atque ut primum vocari se a Deo, hoc est augeri majoribus bonis vidit, sibi metuere coepisse, atque ad mox sequutura acerba, atque tristia se comparasse.

Nam profecto hoc illis verbis agebatur: CAPITE NOBIS VULPES PARVULAS, QUAE DEMOLIUNTUR VINEAS. Itemque illis: DONEC ASPIRET DIES, ET INCLINENTUR UMBRAE, REVERTERE DILECTE MI. Nam quod vulpium, hoc est, ut diximus, invisibilium hostium insidias metueret, quodque Deum precaretur, ut adventantibus tenebris, reditum maturaret, ex eo erat, quia ex novis et majoribus gratiae donis, qui-

(1) Psalm. XII.

bus se affectum esse sentiebat, conjectura colligebat imminere sibi jam, et instare tribulationis periculum aliquod; et proportione sibi de novo collatae gratiae, majora sibi praelia futura videbat; et quo majus illi gratiae lumen infundebatur, eo clarius cernebat adventantem jam tristissimis tenebris involutam malorum noctem, quam ducere una cum Deo cupiebat. Itaque, quae metuisse tunc dictus est mala, in iis nunc incidisse dicitur, cum in lectulo jacens, et tenebris circunfusus inducitur, et inter tenebras Dei opem requirens. Nec vero recusandum illi fuit, quin communem sanctis omnibus sortem subiret, seque ostentaret Deo, atque probaret tolerantia adversorum. Caeterum, quamvis id sit commune omnibus sanctis, tamen sciendum est plurimum interesse quo quis probetur modo atque loco. Incipientes enim, utpote qui amorem quidem virtutis aliquem in sese habeant, firmum tamen illius usum atque habitum non habeant, levius impelluntur, ne in ipso adolescendi initio, cum nondum satis alte radices egerunt, asperius accepti pondere ipso malorum obruantur: itaque hos mala ipsa suspensa veluti manu feriunt: in eos vero, qui proficientium ordinem tenent, acrius incursant: adversus perfectos porro justo praelio, et omnibus copiis decertant. Quod ipsum ne quis fingi a me putet in hoc carmine, et in hac divinorum amorum expositione, figurate quidem ut caetera omnia, sed tamen accuratissime et diligentissime exprimitur. Nam quo intelligatur per singulos spiritualis vitae gradus, quos esse tres diximus, bonos subire tribulationum procellas, idcirco ter inducitur moerens, seque excrucians sponsa, eo quod esset absens vir suus; semel initio carminis, iterum hoc loco, tertio infra capite v. Id porro semper accidere, quotiescunque majori gratia donati a Deo illi ad altiorem virtutis et charitatis gradum vocantur, ita perspicuum est in hoc carmine, ut expositione non egeat. Nam cum primum amare sponsa coepit, statim angi dicta est; hoc est, in ipso exordio hujus libri: eademque, ut ad

secundum amoris gradum pervenit, hoc est, isto quo de agimus loco, iterum dolens inducitur: et rursus infra posteaquam perfectior in amando effecta est, sollicitatur gravissime. Nam post illa: Vox dilecti mei: aperi mihi soror mea, sponsa mea; quibus ad altissimum amoris gradum vocatio et ascensus describitur, continuo sequitur; Pesulum ostii mei aperui, at ille declinaverat, atque transiverat: quaesivi illum, et non inveni: vocavi, et non respondit mihi; itemque illud: Invenerunt me custodes qui custodiunt civitatem, percusserunt me, et tulerunt pallium meum. Caeterum, non eadem ratione universos vexari, sed esse eorum disparia certamina, leviora amare incipientium, proficientium in amore, et perfectorum graviora, mirum etiam est, quam apte in hoc carmine, et quam eleganter significetur. In principio enim ejus dolere dicebatur sponsa, quod se solam reliquisset suus vir, et hactenus dolere, ut domi ipsa manens, et animi sui desiderium verbis testificans, nihil praeterea molesti pateretur. At hic, ubi jam major atque perfectior persona agitur, etiam domo egressa, totam urbem obiisse, magnumque in inquirendo illum dicitur laborem suscepisse, atque eum multo maximum postea, cum perfecte amantis imaginem sustinet. Nam praeter urbis loca noctu, et maxima anxietate animi obita, in custodes urbis cum incidisset, spoliata, et plagis aliquot acceptis, male ab ipsis mulctata discessit; de quo, cum ad id loci perventum fuerit, dicemus. Quod si quis a me quaerat causam, quare in ipso honestae vitae degendae, et in cujusque ejus vitae gradus principio, aut certe paulo post principium, viri justi, malis tribulationum vexandi, atque torquendi tradantur. Huic ego, quamvis intelligam interdum aliter evenire, easque bonorum tribulationes, eaque certamina in aliud tempus differri; tamen quia saepius usu venit, ut statim probentur, respondeo, id propterea fieri, quia vocationes istae omnes, et ad singulos amoris gradus ascensus, magna dulcedinis coelestis copia redundant.

Nam blanditur quodammodo Deus illis, quos ad se vocat, eosque illectat deliciis spiritualibus magnis. Itaque cum ista vitae sanctae, et ejus omnium partium principia plena voluptatis, et tanquam circumlita melle sint, si praeterea quae sequuntur, reliqua ex animi sententia justis placida, et tranquilla evenirent, periculum esset, ne nimia et perpetua voluptate decepti amorem Dei, atque adeo omne virtutis officium, voluptate, atque utilitate metientes, in amando non tam amorem ipsum, quam quae ex illo sunt commoda sequerentur, seque ipsi potius amarent, quam Deum; ex quo etiam fieret, ut ille Dei in hominibus suo amore inflammandis conatus, non solum in nihilum recideret, sed ut contrarium ejus, quod Deo propositum est, efficeret. Nam cum Deus, in infundenda coelesti voluptate atque dulcedine, id agat, ut nos ad se ingenue amandum invitet, ejus si voluptatis atque dulcedinis usum nobis perpetuum daret, eo ipso quo nos ad se amandum allicit, repelleret, et errare faceret, ab eo quem requirit, amore, vero scilicet et ingenuo, et in quo Deus ipsius solum causa diligitur. Qui error atque lapsus primo admissus, ac laetarum deinceps, ac secundarum rerum successu altus et inveteratus in animo, omnem sine dubio honestae ac beatae vitae rationem everteret. Quare oportuit, ut primo quoque tempore evelleretur is error, vel potius ut obviam iretur illi antequam germinare, aut omnino posset radices agere; id autem efficitur cum justi abstrahuntur ab illa, quamvis coelesti, tamen corpus quoque imbuente voluptate, cumque in laboribus et in rebus asperis continentur; quo sic tandem diligendi Deum veram rationem addiscant, nec quidquam aliud ex Deo praeter Deum quaerant. Et quemadmodum sulcis mandata, atque commissa semina, si coeli clementia statim atque terrae mandata sunt, et genitalibus auris excipiantur, in herbam effusa, non temere ad frugem perveniunt; sin autem Aquilonares venti solum durarint, nixque supra ceciderit, deorsum radices agunt, quibus fir-

mata, ac roborata opportuno tempore uberes fruges gignunt; sic noster animus, postquam divinae gratiae semina intra se semel accepit, nisi molestarum rerum, et ingratarum mole comprimatur, laetitia exultabit inani, ac extra se totus effusus, speciem fortassis aliquam pietatis praese feret, virtutis tamen ejus expers erit, et sibi bene ac volupe esse id unum amabit, seque pro Deo diliget, quo nihil potest, aut dici, aut esse perversius. Quare necesse est, ut secundis adversa succedant, et tristibus laeta temperentur, quo eorum alternis vicibus, quasi utrinque aequis ponderibus libratus animus, neutramque in vitiorum partem inclinans, semper contineatur in officio. At cum id evenerit, ut in rebus asperis versetur vir justus, quo animo illum futurum, aut quibus armis usurum dicemus? ad quem confugiet? cujus implorabit auxilium? cujus sibi advocabit opem adversus infernas, in seque insurgentes acies tenebrarum? Bonis et justis viris certe. (Nam scelerati atque improbi cum in mala tali vita digna incidunt, ipsi viderint quid sibi faciendum sit, aut quomodo contra mala nitendum, si tamen illi nituntur unquam contra, ac non potius ab omnibus animi bonis flagitiose imparati ferri se atque agi a malis sinunt, seque aegritudinibus et desperationi conficiendos permittunt). Bonis igitur atque justis viris, certe unus Deus pro auxilio, proque perfugio, in omni eorum calamitate atque malo est. Nam, ut primum nox tribulationis coepit irruere, statim suum animum ad Deum convertunt, et toto pectore illum cogitant, ac plus aliquanto, quam antea facere erant soliti, occupantur in eo amando; eoque sunt erga ipsum animo, ut postquam omnem suam causam ei exposuerunt, postquamque spes suas in eo uno collocasse, professi coram eodem ipso sunt, illudque addiderunt, intelligere se atque cognoscere, nec sine illius permissu illa accidisse, nec sine ejusdem jussu mutari ea in melius posse, ac denique ipsum, mitius ut secum agere, et irasci jam desinere velit, deprecati sunt, illudque

in primis affirmarunt, se id unum maxime velle, atque cupere, suae ut ille voluntatis atque gloriae potissimam rationem habeat, deinceps quasi ablegata a se omni rerum suarum cura, Deoque permissa in una legis, ac promissorum Dei meditatione acquiescant, humana despiciant, coelum mente petant; seque veluti in sinum atque complexum Dei conjiciant, atque abscondant, inibique absconsi atque delitescentes, et magno amore flagrantes, malorum morsus, aut omnino non sentiant, aut certe levissime perferant. Quod si, quod nonnunquam facere Deus solet, non solum molestari ipsos a malis, atque vexari sinat, sed ipse se quasi ab alienato ab illis animo subtrahat, et influere amplius in eorum mentes suaviter et jucunde, ut solebat, nolit, eosque in media tribulationis nocte solatio destitutos relinquat, aut ita ipsis videatur relinqui se a Deo et abjici, et pro despectis haberi, id si eveniat, minime illi quidem, aut spem abjiciunt, aut amorem suum a Deo dimovent, sed quod sponsa hoc loco fecisse scribitur, id potius ipsi faciunt, quaerunt in lectulo, domi perquirunt, per urbis vias, per fora, perque compita omnia, omnibus vestigiis sequuntur, circuncursant, obvios rogant, nihil denique non faciunt, quoad voti sui compotes effecti, id quod quaerunt, inveniant; hoc est, nullis malis, nullis rebus molestis et acerbis deterrentur ab amando Deum, beneque de ipso sperando. Si domestico atque intestino malo infestantur, unum Deum requirunt. Si publice in illos insurgitur, in eodem Dei quaerendi studio perseverant. Si calamitati additur calamitas, et alia ex aliis mala nexa sequuntur, sique luctuosas noctes excipiunt moesti et lachrymosi dies, sive malum quo opprimuntur breve sit, et intra domesticos parietes inclusum, sive apertum potius, lateque patens, et in longum tempus perseverans, omnibus quamvis fortunae telis confossi, ad caetera stupidi, unum illum dolorem ad sensum admittunt, et ad animum suum, quem acerbissimum capiunt, ex eo quod species illa amabilis et grata

Dei, quae in ipsorum animo elucebat antea, jam nusquam appareat. Itaque excitant sese, et animi sui omnes latebras scrutantur, dictaque sua et facta omnia severissime examinant, omnesque vias insistunt, quibus ad Deum pervenire quis potest, instant, precantur, supplicant, fletus fundunt, lamentantur etiam interdum, clamores edentes maximos, illaque Davidica: Illumina vultum tuum: Cur avertis faciem tuam a me? Ne declines in ira a servo tuo, saepius iterantes perseverant, usque eo dum converso ad pietatem et clementiam Deo, intermissus ille jucundissimae consuetudinis Dei eis redditur, et restituitur fructus. Quo ex fructu ipsis restituto atque reddito, majorem etiam, quam antea voluptatem capiunt. Itaque novo quodam et vehementiori amore accensi, irruunt in complexus Dei, illumque arcte tenent, et quam possunt intime intra suum pectus recondunt, nec ab eo divelli possunt ullo modo, et hoc est, quod sequitur: TENUI ILLUM, NEQUE DIMITTAM. Id porro ubi assequuti sunt, labores et aerumnas suas non tanti faciunt, facileque sibi et vere persuadent, quando jam Deus optatum illud vultus sui lumen ipsis ostendit, brevi futurum, ut malorum suorum tenebris penitus discussis, tranquillus ipsis oriatur, et serenus dies.

Sequitur: QUAE EST ISTA, QUAE ASCENDIT SICUT VIRGULA FUMI? Quamvis vera virtus se ab hominibus videri, aut celebrari non velit; tamen ne, si maxime cupiat, latere eos possit, ab ipso suo splendore et pulchritudinis magnitudine proditur. Itaque vel nolens in oculos hominum incurrit, eosque ita commovet, ut qui nullam ipsi partem virtutis habent, tamen non possint illam non admirari. Sed interest, quis gradus virtutis sit. Nam incipiens virtus, quae plurimis, quae e prave assueto corpore existunt, tanquam nebulis, ejus oscuratur et inficitur lumen, haud facile suum splendorem foris profert. At eadem, ubi aliquantulum adolevit, radios emittit lucis suae, quoque magis adolevit, eo magis late emicat. Itaque in hoc carmine, cum de incipientum virtute et amore agebatur, intra sponsi sponsaeque personas omnis sermo constitit, omnisque illa amoris tanquam actio, intra domesticos parietes ab his peracta, duobus spectatore caruit, et applausore. At nunc cum jam describitur proficientium virtus, cujus splendor occultari nequit, praeter istorum personas, inducuntur alii, qui dum pulchritudinem sponsae admirantur, nos doceant justos viros, cum eo usque profecerunt in amore Dei, ut in secundo amantium ordine numerentur, admirationi hominibus esse incipere. Qui quidem homines cum ejusmodi justum aliquem contendentem ad virtutis culmen pleno gradu conspiciunt, consistunt primo, atque ipsum veluti noscitantes diligentius inspiciunt, eoque agnito recordantur vitae eidem, eisdemque quibus ipsi tenentur studiis, illum non ita pridem vacasse, cupiditatibusque similibus servisse; itaque rei novitate commoti percontantur, quo ex genere hominum homo ille sit, qui tam subito in novum, et ab eo, qui erat antea, diversum hominem sit demutatus, quando, quove modo ea, in quibus studio detinebatur, inculta et horrida loca relinquens, ad coelestis vitae lucidas, et sublimes regiones tanto virtutum agmine circunseptus conscenderit. In quo genere illud etiam saepissime evenit, ut ad haec consideranda, et secum reputanda homines animum magis advertant, quoties id accidit, ut calamitosum aliquem, et gravi fortuna oppressum hominem, cujus de salute jam desperaverant, praeter ipsorum spem, ab omni liberatum malo, ac suae pristinae dignitati nec opinato restitutum videant. Illa enim fortunae in melius commutatio tam subita, acrius illorum mentes, atque animos commovens efficit, ut intelligere, et cognoscere incipiant, ejus hominis res curae Deo esse, majusque omnino bonum aliquod latere in eo, quam quod ipsi unquam suspicati sunt, arbitrentur: quod jam illis bonum, dum ista pertractant, paulatim ex alterius animo emicare et apparere ita incipit, sibi ut videantur illud videre. Itaque quem antea de-